





70v.

DISSERTATIO INAVGVRALIS JVRIDICA,

DE

1733, 16

17.

6  
M

POTESTATE JVDICIS,  
POENAS, IN DELICTA STATV-  
TAS, MITIGANDI HVJVSQVE  
MITIGATIONIS VÉRIS  
CAVSSIS.

QVAM EX CONSENSV  
*INCLYTÆ FACVLTTATIS JVRIDICÆ*  
IN PER- ANTIQVA HIERANA,  
RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO,  
PRÆNOBILI ET CONSULTISSIMO VIRO,

DN. TOBIA JAC. REINHARTH,  
JCTO, SACRI PALATII CÆSAR. COMITE, JVRID. FACVL. ASSESSORE,  
ET PROFESS. COD. PVBL. ORDIN. CIVITAT. STNDICO  
ET CONSULE.

S V B P RÆ S I D I O

DN. CONRADI WILH. Streders/  
JCTI, JVRIDICÆ FACVLTTATIS ET JUDICII ELECTORALIS PROVINCIALIS AS-  
SESSORIS, PROFESSORIS PVBLICI, NEC NON CIVIT. STNDICI  
ET CAVS. TUTELAR. CONSVENTIS

*P R O L I C E N T I A*

SVMMOS IN VTROQUE JVRE HONORES AC PRIVILEGIA  
DOCTORALIA RITE AC LEGITIME CONSEQUENDI

P V B L I C O E R V D I T O R V M E X A M I N I

IN AUDITORIO JCTORVM MAJORI  
HORIS CONSVENTIS SVBMITTIT

AVCTOR

JOHANNES ANDREAS TSCHIRPIVS,  
Oldisleb. Thuring.

DIE VI. MAJI MDCC XXXIII.

ERFORDIAE, Typis IOH. CHRISTOPHORI HERINGII, Acad. Typogr.





J. N. S. S. T.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS JVRIDICA

DE

POTESTATE JVDICIS POE-  
NAS, IN DELICTA STATVTAS, MITI-  
GANDI HVIVSQVE MITIGATIO-  
NIS VERIS CAVSSIS.

§. I.

**D**oenas delinquentibus imponi quam  
æquum, quam justum, quam ta-  
men cunctanter ad graviora suppli-  
cia & non, nisi urgente necessitate,  
deveniendum sit, adstruere proli-  
xius non fert animus: intelliget il-  
la facile, quisquis Senecam, Virum,  
uti olim vitâ clarissimum, ita ingenio prudentiaque  
maximum, consulere voluerit; ex cuius viri, graviter  
hac de re differentis, litterarum monumentis unum sal-  
tem locum, adseratum nostrum plene confirmantem,  
heic proponere operæ pretium esse existimamus. Be-  
nefi-

A 2

neficiis, inquit in tract. de ira lib. i. cap. 5. § 6, humana  
vita consistit & concordia, nec terrore, sed mutuo amore in  
fœdus auxiliumque commune constringitur. Quid ergo? non  
aliquando castigatio necessaria est? quid nō? sed hac since-  
ra cum ratione; non enim nocet, sed medetur specie nocen-  
di. Quemadmodum quedam bastilia detorta, ut corrigamus,  
adurimus adactis cuneis, non ut frangamus, sed ut ex-  
plicemus, elidimus: sic ingenia, vitiū prava, dolore corporis  
animique corrigitur. Nempe medicus primo in vitiis levi-  
bus tentat non multum ex quotidiana consuetudine infleche-  
re & cibis, potionibus, exercitationibus ordinem ponere ac  
valeudinem tantum, mutata vita dispositione, firmare: pro-  
ximum est, ut modus proficiat; si modus & ordo non  
proficit, subducit aliqua & circumcidit: si ne adhuc  
quidem respondet, interdicit cibis & abstinentia corpus  
exonerat. Si frustra molliora cesserunt, ferit venam  
membrisque, si adhaerentia nocent & morbum diffundunt,  
manus adsert, nec ulla dura videtur curatio, cuius salutaris  
effectus est. Ita legum præsidem civitatisque rechorem de-  
cer, quamdiu potest, verbis & his mollioribus ingenia curare,  
ut facienda suadeat cupiditatēque honesti & æqui conciliat  
animis faciatque vitiorum odium, pretium virtutum: trans-  
eat deinde ad tristiorē orationem, qua moneat adhuc & ex-  
probret: novissime ad penas & has adhuc leves & revocabi-  
les decurrat: ultimo supplicia sceleribus ultimis ponat, ut  
nemo pereat, nisi quem perire etiam pereuntis intersit (ne  
in nequitia nempe diutius hæreat, & hoc uno modo  
desinat esse malus, ut Lipsius explicat hæc verba in  
commentario) Hoc uno medentibus erit dissimilis, quod illi,  
quisbus vitam largiri non potuerunt, exitum facilem præstant;  
hic,

bis, damnatum cum dedecore & traductione vita exigit: non, quia delebetur illius poena, procul est enim a sapiente tam inhumana feritas, sed, ut documentum omnium sint, & qui vici noluerunt professe, morte certe eorum respublica utatur.

## §. II.

Imperantes sic, quibus felicitas eorum, qui parent, & salus reipublicæ, quam regunt, curæ esse debet, ex sententia Senecæ, poenas tunc demum adhibent, tanquam remedium subsidiarium ultimum, si cives virtutes, quibus tamen nihil formosius & præstantius esse potest, plane inverterint, propositis harum præmiis ad recta facienda non perduci & potius in vitia facinora-que delapsi ita fuerint, ut nemo mederi vulneri, rei-publicæ inlato, & tranquillitati læsæ consulere alio plane modo queat, quam poenarum acerbitate. Pro-ni ergo non sunt Principes boni ad poenas infligendas, nec cupiunt poenis malefacere delinquentibus; id enim esset in oblivionem omnis clementiæ venire & omne fœdus humanum animo ejicere; nec exercere ulti-onem volunt, cuius vanus triumphus, postquam factum infectum fieri nequit; sed necessitate sola & sollicitudine pro reipublicæ securitate coguntur, ducunturque, ut poenas imponant, pro mensura delictorum, ut neme-pe, qui peccavit, vel emendetur, vel ejus morte infami, aliis terrorem incutiente, omnes a criminibus perpe-trandis in posterum arceantur.

## §. III.

Principes proinde optant, ut subditi oderint pec-care virtutis amore, non poenæ formidine: hinc si vel

maxime illud poenarum remedium subsidiarium ab il-  
lis arripiendum; ad lenititudinem tamen magis, quam  
severitatem, si modo salus reipublicæ permittat, sunt  
proclives; hinc non mirum etiam est, quod magistra-  
tibus, nomine Principum justitiam administrantibus, ex-  
emplum suum imitandum proponant, & quum ipsis po-  
testatem facinorosos puniendi tribuant, magna cum  
prudentia hoc poenarum remedium adhibere, & seve-  
ritatem ipsam cum temperamento benignitatis exerce-  
re, seu uti mitigatione poenarum, si ratione bonamodo  
fieri possit, inculcent.

## §. IV.

De hac poenarum mitigatione, quæ judici ab im-  
perantibus demandata est, deque hujus mitigationis ve-  
ris caussis acturi jam sumus in dissertatione nostra in-  
augurali; atque in primis hanc potestatem judici datam  
hoc modo definimus: quod sit facultas judici, in caussis  
criminalibus judicanti, tributa in jure nostro a legisla-  
toribus, poenas in criminis statutas, ex caussis in jure ad-  
probatis, temperamento quodam molliendi, ut fiant  
leviores.

## §. V.

Commemoratu vero dignissimum maxime est, san-  
ctiones, quæ continentur legibus, poenales certas ut  
platinum, interdum tamen quoque ambiguas esse; in-  
de, ut recto ordine procedamus, paucissima primo di-  
stuti sumus de iis, quando ambiguum quodammodo  
est, quæ in poenarum determinatione verborum  
legislatoris mens fuerit; atque hic merito regulam ge-  
neralem, quam præscriperunt Jcti romani incliti

HER-

HERMOGENIANVS in leg. 42. D. de pœnis & PAVLVS in leg. 155.  
 §. 1. de div. reg. Jur. observamus, interpretatione nempe legum  
 pœnas molliendas potius, quam exasperandas esse: quæ re-  
 gula quidem est valde conveniens intentioni legislato-  
 rum, ad benignitatem elementiamque inclinantium,  
 ita tamen accipienda, ut salutis publicæ rationem  
 quoque habeamus neque statuamus, absque justa cau-  
 fa pœnas hoc modo temperandas esse, neque negliga-  
 mus præceptum, quod JCTus MARCIANVS in leg. 11. D.  
 de pœnis dedit: in levioribus cauſis priores ad leni-  
 tatem judices esse debere, at in gravioribus severita-  
 tem legum cum aliquo temperamento subsequi, conf.  
 BRVNNEMANN in Comment. in Pand. ad leg. 11. D. de  
 pœnis.

## S. VI.

Convertimus nunc cogitationes nostras in eas  
 sanctiones, quæ certam pœnam determinant, atque  
 an in iis obtineat quoque mitigatio, investigamus.  
 Quod temperandæ benignitate tales pœnæ non sint,  
 fundata in jure videtur sententia. Quippe neminem  
 fugit JCTum Callistratum in lege 28 §. 15. D. de pœnis  
 pronuntiassè, famosos latrones severe coercendos es-  
 se, ut pœna metus alii a facinoribus deterreantur. Porro  
 JCTus MARCIANVS in leg. 1. §. 4. D. ad senatus cons. Tur-  
 pill. ait: facti quidem questionem esse in arbitrio judicantis,  
 pœne vero persecutionem non ejus voluntati mandari, sed le-  
 gis auctoritati reservari. Denique scimus, judicem delin-  
 quenti pœnas remittentem vel mitigantem (idem enim  
 esse hoc casu remittere vel mitigare pœnam docet lex  
 8. C. ad leg. Jul. de vi publ.) variis adſici pœnis: sic v. g.

Impe-

Imperatores THEODOS. & VALENTIN. in lege 3. C.  
ne sanct. bapt. iteretur, judicem licentiam dantem hæreticis, eos, qui deserta vera religione falsam hæreticorum sectam amplexi, iterata vice baptizandi, eadem, quam ipsi hæretici commeruerunt, poena plœctere jufit. HONORIVS & THEOD. Imperat. in leg. 4. § 6. C. de commerc. § mercat. eos, qui prohibitas negotiations permiserunt, consciens criminis esse judicavit. Plura non addimus, quum ea, quæ adtulimus dubia, jam satis pro negativa sententia pugnant.

## §. VII.

Verum enim vero hæc non efficiunt, ut dimoveri nos patiamur ab ea sententia, qua statuimus, justa ex caussa judici licere poenas etiam certas temperamento quodam mollire, ut fiant leviores, hocque nostrum adserendum jure romano pariter ac germanico, constitutione nempe criminali CAROLI V. niti arbitramur. Primo recensemus quæ Imperat. SEVERVS & ANTONIN. rescriperunt in leg. 3. C. ex quibus caussis infamia irrog. his verbis: *Etsi severior sententia dici debuit; tamen cum Proconsul, vir clarissimus, certis rationibus motus, mitiorem sententiam dixerit § ordine decurionum te biennio abstinerre jufferit, transacto tempore non esse te in numero infamium palam est.* Edocemur certe ex hac lege, judicem mitiorem penam omnino decernere posse, si iusta & talis caussa, quæ ipsum delictum minuit, adsit. Secundo Jctus VLPIANVS in leg. 13. D. de panis dicit: *Hodie licet ei, qui extra ordinem de crimine cognoscit, quam vult sententiam ferre, vel graviorem vel leviorum, ita tamen, ut in utroque modo rationem non excedat.* Inferimus ex

ex hac lege cum BRVNNEMANNO in Comment. ad hanc  
leg. ob justam caussam poenam ordinariam a judice in  
extraordinariam mitioremque omnino commutari  
posse. Ne vero tertio quis arbitretur de delictis extra-  
ordinariis hoc Vlpiani effatum tantum accipendum  
esse, semper id obtinere testimonio MARCIANI JCti in  
leg. 11. D. de pœn. probamus; perspicendum judicanti, inqui-  
entis in genere, ne quid aut durius aut remissius constituantur,  
quam cauſa deposita: nec enim aut severitatis aut clementiae  
gloria adfæctanda est, sed perpenſo judicio, prout queque res  
expostulat, statuendum est. Statuimus ergo judicem po-  
testate illa instructum esse moderandi poenas non fo-  
lum in extraordinariis sed & ordinariis judiciis: tamet-  
si enim olim publicorum criminum & ordo certus &  
poenæ legibus definitæ fuerint; exolevit tamen ordo  
primum, durante aliquandiu legum pœna, ut testatur  
JCtus PAVLVS in leg. 8. D. de publ. judic. dein & ipsæ poe-  
næ exolevere cœptique animadverti in reos extra or-  
dinem uti ex leg. 13. D. de pœnis colligimus vid. ANTON.  
MATH. in comment. ad lib. 47. § 48. D. de crimin. tit. 18.

§. 6.

### §. VIII.

Quæ de potestate judicis mitigandi criminum poe-  
nas decisa sunt in jure romano, reperiuntur eadem ra-  
tione quoque in constitutione criminarii CAROLI V.  
& jure sic nostro germanico. Dum Imperator de poena  
furti sancit in art. 160. his notatu dignis verbis utitur:  
Mehr soll ermess'en werden der Stand und das Wesen  
der Person, so gestohlen hat, und wie schädlich dem Be-  
schädigten der Diebstahl seyn mag, und die Straff dar-

B

nach

nach an Leib oder Leben urtheilen. Und dieweil aber solche Ermessung in Rechts verständiger Leute Vernunft steht, so wollen Wir, daß in soichem iesztgemeldeten Fall, so oft sich der also begiebt, die Richter und Urtheiler bey den Rechts Verständigen, und an Orten und Enden, wie hernach gemeldet wird, Raths pflegen, mit Entdeckung der berührten Umstände, und nach solchem erfundenen Rath ihr Urtheil geben. In art. 172, ubi disponit, qua poena sacrilegium expiandum, ait: Diese Diebe sind zum Tode nach Gelegenheit der Sache und Rath der Rechts Verständigen zu straffen. In art. 109, ubi de poena magiae & veneficii agit, ita loquitur: Wo aber jemand Zauberer gebrauchet, und damit niemand Schaden gethan, soll sonst gestraffet werden nach Gelegenheit der Sachen, darinnen die Urtheiler Raths gebrauchen sollen. Similia verba sëpe in carolina hac lege adhibentur, quæ corroborant satis nostram sententiam, judici legitima ex caussa immutandi poenas minuendique facultatem tributam esse.

## §. IX.

Ad dubia paullo ante contra nostram hanc opinionem mota facili etiam negotio respondere possumus: quippe, quod attinet ad primum, quod illi, qui se sceleribus commacularint, ad supplicia sint trahenda, ut aliis terrorem incutiant, libentissimi concedimus hoc tunc, si nulla caussa justa poenam ordinariam mutandi in extraordinariam adsit; hac vero existente, iudici benignitatem magis quam severitatem adhibere in legibus a nobis allegatis omnino permittitur. De secundo dubio, quod scil. facti saltem quæstio non poenæ

pœnæ persecutio judicis voluntati sit demandata, observamus: non ita pœnas in arbitrio judicantim esse, ut pro lubitu judices vel condemnare, vel absolvere, ut pœna gratiam facere, aut genus pœnæ commutare queant: sed ita, ut pro personarum qualitate & commissi criminis circumstantiis admodum variantibus remissius interdum animadvertere possint. Nam ubique in eo desudare elaborareque prudens judec debet, ut peccatis pœnæ æquæ sint, nec scutica dignum horribili sectetur flagello: id ipsum autem, ut pro varietate circumstantiarum variare pœnam possit, sapientes non vetant. Jubent quidem, quantum fieri potest, leges ita ferri, ut quam paucissima relinquantur arbitrio judicis; sed iidem quoque fatentur, non posse leges ita scribi, ut omnes comprehendant articulos. Quare, quum in aliqua caussa legum sententia manifesta est, is, qui jurisdictioni præfet, ad similia procedere atque ita jus, ex præcepto Jcti JULIANI in leg. 10. D. de leg. dicere debet. Certe, si in ulla parte jurisprudentiæ id contingit, ut omnes casus legibus exprimi non possint, vel maxime id in criminibus puniendis sit, ubi etiam exemplo perniciosum foret, omnia admissa eadem punire pœna. Non enim nostri Jcti philosophiæ Stoicæ amplius sunt addicti, qui putabant, omnia peccata esse paria, sed & criminum differentias & pœnarum gradus agnoscent varios: quid? quod innumera serme sunt, quæ maleficum vel elevare, vel aggravare possunt; frustra ergo a legislatore exigitur, ut nihil arbitrio judicis relinquatur, indeque forsitan factum etiam est, ut tandem etiam publica crimina extra ordinem juxta leg.

13. D. de pœn. vindicari cœperint. Hanc criminum puniendorum rationem comprobavit quoque PLATO, Vir olim virtuti simillimus, & prudentia eminentissimus lib. 9. de leg. his verbis: *Ubi judicia recte pro viribus constituta sunt, judicesque bene educati, rectissime multa iudicibus de punitione conditioneque condemnatorum committi possunt.* Nemo igitur nos incuset, si ipsis nunc maxima multaque legibus non ordinemus, quæ vel minus eruditii judices possent conspicere, dignamque singulis delictis pœnam accommodare. Quoniam vero eos, quibus nos legem describimus, non ineptos barum rerum judices futuros speramus, multa eis committenda censemus. Verum, quod saxe in superioribus diximus fecimusque, putantes descriptione formaque punitionum dicta exempla iudicibus, quæ inquam transgrediantur, dari oportere, id tunc  $\Sigma$  recte factum est,  $\Sigma$  nunc quoque observare volumus. Ita solutum esse & hoc dubium, quod magnimomenti esse fatemur, & §um 4. legis 1. D. ad senatus conf. turpill. ex juris nostri ratione insimul explicatum, existimamus. Tertium dubium, quod poenas judicis remittentis vel mitigantis poenas determinatas complectitur, restringimus non inépte ad illum casum, si judex absque justa causa a poena disinita recedere & delinquentem impunitum dimittere velit: tallem judicem puniendum esse nemo negaverit; quum is in rem publicam, cuius maxime interest, a scelestis dignas sumi poenas, valde peccaverit; si vero justam remittendi vel mitigandi causam habeat, mitigetque proinde, tantum abest, ut nefas eum commisso adseriqueat, ut potius si minuere poenas omiserit saevitiae arguatur. conf. CARPZOR. in pract. crim. part. 3. quest. 142.

§. X.

## §. X.

Veritate ergo sententiae nostrae demonstrata, qua judici facultatem mitigandi poenas ex caussis justis tribuimus, progredimur ad eas caussas, quas pro justis agnoscimus, & illas omnes in hanc regulam referimus: *omnis causa, que jure minuit delictum, pro justa etiam minendi ejus penam, habenda est.* Hac regula, tanquam vero fundamento, fulcimus ea, quae in hoc argomento sunt ulterius proferenda. Quia autem omnia delicta ex animo delinquentis doloso in primis dijudicantur, in nonnullis vero personis defectus judicii vel in totum, vel ex parte reperitur; quomodo in ejusmodi personis delicta vel cessent vel minuantur poenaeque sic vel plane exulent vel mitigatione etiam considerabimus. Pertinent huc cum primis infantes, seu, ut *Jctus MODESTINVS in leg. 14. D. de sponsal.* ait septem annis minores homines, quos innocentia consilii tuetur, quidquid agunt ignorare dicuntur, dolique sic vix sunt capaces; unde conceptus delicti in eos non cadit poenaque iure determinata prorsus ipsis infligi non debet quod probant *Jctus MODESTINVS in leg. 12. D. ad leg. corn. deficar.* qui eos a poena legis hujus liberat & *VLPIANVS in leg. 5. D. ad leg. Aquil.* qui in iis cessare actionem legis aquiliæ, si dederint alicui damnum, dicit. Castigari tamen cum lenitate quadam illos interdum pro rerum circumstantiis, a parentibus, immo etiam a lictoribus, si malitia ætatem suppleverit, posse in casibus iis, qui in aliis personis grave delictum configiunt, tradit *CARPZOV.* in *pract. crim. part. 3. quest. 43.*

§. 9 - 20.

B 3

§. XI.

## §. XI.

Qui annos infantiae excesserunt, sed adhuc in im-  
pubertate constituti sunt, si jam doli capaces sint, pos-  
sunt scelere quodam se polluere & furtum v.g. facere,  
uti tradit. VLPIANVS JCtus in leg. 23. D. de furt. at-  
que impunitatem hinc delicti propter ætatem non iis  
dari, si modo in ea sint ætate, in quam crimen, quod  
intenditur, cadere queat Imperator ALEXANDER in  
leg. 7. C. de pænis dispositus. Ast, licet dolum ex legum  
hac sanctione committere sic possint impuberis adeo-  
que etiam delictum; infirma tamen eorum ætas &  
imbecillis intellectus faciunt, ut longe minor in iis,  
quam in adultis, nequitia inveniatur, adeoque haec  
ætas caussam minuendi delictum & ejus poenam præ-  
beat, id quod corroborat satis constitutio critin. art.  
164. So der Dieb oder Diebin ihres Alters unter vier-  
zehn Jahren wären (unde JCti inferunt, quod in caus-  
sis delictorum masculi & foeminae uno hoc tempore  
definito pubertatem adipiscantur) die sollen um Dieb-  
stahl, ohne sondere Ursach, auch nicht vom Leben zum  
Todt gericht, sondern der obgemeldten Leibes Straff  
gemäss, mit samt eidiger Urphede gestrafft werden. In-  
terim silentio non præterimus, quod JCti nostri recte  
moneant judices, quod, et si impuberis ex delicto obli-  
gentur; æqua tamen ab illis lance ponderandum, an  
doli, juxta legem excitatam 7. C. de pænis fuerint etiam  
re ipsa capaces isti impuberis, nec ne indeque distin-  
guendum sit: an impuberis infantiae proximiores ad-  
huc sint, qui nempe infantibus prorsus æquiparandi,  
an ad pubertatem magis accedant, qui intellectus exer-  
citio

citio aliquo modo jam prædicti, delictum perpetrare omnino possent, quod leviori & extraordinaria regulatiter saltem poena luendum, nisi ob insignem atrocitatem sceleris & malitiae interdum ad capitis poenam, quam nihilominus, quum tenera ætas veniam mereatur in jure, leviorem ordinaria esse debere opinamur, deveniandum quoq; esset, quod sententia JCti MÆCIANI in lege 14. D. ad SCtum Silan. Et Claud. dicentis: TREBATTIVS GERMANVS de impubere sumi jussit supplicium Et tamen non sine ratione & ex jussu CAROLI V. in art. citat. 164. fieri posset, ubi: Wo der Dieb nahe bey 14. Jahren wäre, und der Diebstahl groß, oder obbestimmte beschwerliche Umstände so gefährlich dabei gefunden würden, also daß die Bosheit das Alter erfüllen möchte: so sollen Richter deshalb Rath pflegen, wie ein solcher Dieb an Guth, Leib oder Leben zu straffen sey. vid. CLASSEN in Comment. in constit. crim. ad ar. 164.

## §. XII.

In minorum ætatem crimen cadere posse haud est dubitandum, unde TRYPHONINVS JCtus pronuntiat in leg. 37. D. de. minor. in delictis minorem annis virginis quinque non mereri in integrum restitutionem; utique atrocioribus, nisi quatenus interdum miseratio ætatis ad medium pœnam judicem perduxerit, & Imperatores SEVERVS & ANTONIN. in lege 1. C. si adversus delict. min. in integr. restit. criminibus minores ætatis suffragio non juvari rescribunt; constitutio criminalis carol. eos solummodo fures ab ordinaria quoque pœna eximit, qui adhuc impuberes sunt, hinc ibi minoribus non remissam esse hanc pœnam colligimus; hincque ætas talis malorum mores

mores non excusat, nec regulariter minuit delictum nec ideo ejus poenam. Quoniam tamen in leg. 37. *D. de minor.* exprimitur: interdum miserationi ætatis locum dandum esse; inde minui pro qualitate circumstantiarum delictum posse in minoribus & temperari ordinariam poenam leviori JCti recte adseverant; præsertim si sit delictum perpetratum jure divino non capitale, aut vix pubes factus delinquens, aut magna intellectus imbecillitas, aut alia lege adprobata causa in eo deprehendatur vid. BRUNNEMANN in *Comment. ad leg. 37. D. de minor.* Addimus adhuc dictis, quod facta quædam in minoribus pro delictis plane non reputentur ac impunita sint; dum ab ætatis lubrico profecta creduntur, quæ a majoribus perpetrata & delictum constituerent & poenam mererentur: hinc DIOCLET. & MAXIM. in leg. 2. C. si advers. del. matri minori ignoscunt, si liberis suis impuberibus tutorem non petierit, ne ab eorum successione depellatur; ac minoribus heredibus non obesse crimen inultæ mortis placuit Imperat. ALEXANDRO in leg. C. de his quibus ut indig. quod tamen majores hereditate delata indignos faceret ex Senatusconsulto Silaniano & Claudiano. In ejusmodi causis ipsi Imperantes jam ita minoribus propxerunt, ut ad judicem, mitigaturum poenas in his delictis alias definitas, confugere haud indigeant.

## §. XIII.

An senectus minuat delicta eorumque adeo poenas JCti non convenient. Nos adprobamus sententiam CARPOVII in praet. crim. part. 3. quæst. 144. adfirmantis; quod senectus regulariter non temperet delicta

nec

nec ab horum poenis excusat. Quippe diserte senibus  
 hoc jus in jure tributum esse non reperimus; potius  
 scimus Imperatores DIOCLET. & MAXIM. in leg. 3. C.  
 qui testam. facere possunt illis testamentum condere &  
 eosdem Principes in leg. 16. C. de donar. donare senibus  
 permisisse indeque concludimus; quum ex pactis illi  
 obligentur & perficere possint, quae sunt jurispublici,  
 puta testamenti factionem, obligari senes etiam ex de-  
 licto oportere; quia non minus discretio & prudentia  
 in pactis & testamenti factione requiritur, quam dolus  
 & malitia in delictis reprehenditur puniturque. Et li-  
 cet nos non lateat, quod veteres bis pueros senes dixe-  
 rint & JCtus CALLISTRATVS in leg. 2. D. de term. moto seni-  
 eturis in poena infligenda propter termini moti delictum  
 rationem habeat & JCtus VLPIANVS in leg. 3. §. 7. D.  
 de senatuscons. Silan. & Claud. ignosci his, qui ætate defe-  
 eti sunt, velit: restringimus tamen non immerito  
 has leges, vel ad penas illas, quæ a legislatore non  
 definitæ & prudentiæ judicantium commissæ, in qui-  
 bus mitius interdum puniendi senes; non extendimus  
 autem ad penas determinatas a lege; vel etiam eas-  
 dem leges intelligimus de summa senectute, quæ facit  
 sœpe ut homines repuerascant, & si in hoc statu delin-  
 quant, ordinaria mereantur poenam leviorem; senes por-  
 ro, si infirmitate virium valde laborent, a cruciatibus tor-  
 turæ & illis poenis, quibus non vita admittitur, sed cor-  
 pus tantum affligitur, v. g. amputatione manus, fusi-  
 gatione, quæ ob corporis tamen debilitatem vix absque  
 discrimine vitae irrogantur, recte eximuntur aliaque  
 pena adficiuntur. Cæterum, quæ de senibus heic

C

pro-

prolata, quin ob paritatem rationis ad eos, qui gravi adversa valetudine periclitantur, adiplicari quoque queant non dubitamus. *conf. CARPZO V. cit. loco.*

## §. XIV.

Sexum, quod concernit, et si regulariter de masculino genere disposita etiam ad foeminas pertineant; atque adeo poenae in masculos statutæ etiam mulieribus in dubio scriptæ intelligantur, si non nominatim aliud cautum sit: quum tamen jus nostrum variis in casibus in puniendo meliorem fecerit foeminarum quam masculorum conditionem, veluti in adulterio aliisque; non absurdum nec a mente legum alienum erit ob sexus fragilitatem etiam minui in mulieribus delicta quædam & extraordinarias quodammodo mitigari penas, quoties nempe adparet, sexus fragilitatem criminis committendo caussam dedisse, non item, si tale scelus sit, quod sexus foeminini egreditur imbecillitatem. *vid. ANTON. MATH. de crimin tit. 18. §. 21.*

## §. XV.

Furioso suo jam satis furore puniuntur, ut inquit *JCTUS MACER in leg. 14. D. de offic. Praesid.* idemque obtinet in aliis, qui continuamentis alienatione omni intellectu carent; qui hinc, ob facinus in insania commissum, propter fati infelicitatem non puniuntur, quod testatur *JCTUS MODESTINVS in leg. 12. D. ad leg. Corn. de sic. Et in leg. 9. D. de leg. Pompeja de parric.* quum nullum in illis sit delinquendi consilium, qui intellectus exercitio sunt privati. Sane qui continua mentis alienatione non laborant, sed quasi in furoris & sanitatis confinio atque in conspectu inumbratæ quietis constituti

tuti dilucida intervalla habent, ex facinore perpetrato tenentur & puniuntur, modo constet satis tunc temporis, quo admissum delictum, furorem omnem cessasse, & exercitium intellectus adfuisse, quum furor alias ut hedera serpere semperque durare censeatur: Dementes illi, qui omni intellectu non carent, & obtusioris & stupidioris solummodo mentis sunt, quales existere experientia docemur, edere scelus & hinc poena adfici possunt: ast quia magis ex culpa quam dolo deliquisse intelliguntur, delicta eorum minuuntur & sic poena extraordinaria coercentur. Quæ de furiosis cum distinctione commemoravimus in melancholicis eodem modo obtainere statuimus, adprobanturque hæc constitutione nostra crimin. art. 179. Würde von jemand, der - wissenschaftlich seine Sünde nicht hätte, eine Ubelthat begangen, das soll mit allen Umständen an den Orten und Enden, wie zu Ende dieser Ordnung angezeigt, gelangen und nach Rath derselben und aude rer Verständigen darinnen gehandelt und gestraffet werden. conf. KRESS. in commentat. succincta in confit. crimin. ad hunc art.

## §. XVI.

Qui impetu quodam, non proposito ad delicta patranda rapiuntur, si justus dolor, si caussa justa vel probabilis impetum concitaverit ex delictis suis obligantur; quum se malis suis affectibus ad mala facienda tractos esse passi fuerint, quod in culpa annumeratur; sed impetus iste, quia dolus deficit, minuit tamen delicta & mitigat eorundem poenas, quod demonstratur testimoniijs JCTORUM MARCIANI in leg. 1. D. §. 5.

C 2

ad

ad leg. corn. de siccari. PAPINIANI in leg. 38. §. 8. D. ad  
 leg. Jul. de adult. VLPIANI in leg. 3. §. 3. D. de senatus-  
 consilian. PAVL I in leg. 45. §. 4. D. ad leg. Aquil. aliorum-  
 que plurium, imo Platonis jam laudati etiam effato lib.  
 9. de leg. inquietis: *majora supplicia illis decet imponere,*  
*qui consulto interfecerunt; illis contra, qui repente & incon-*  
*sulto, leviora, nec a mente CAROLI V. in constit. crim.*  
 art. 137. haec opinio aliena esse potest, quum in art.  
 137. exponat: Ein ieder Mörder, wo er deshalb  
 nicht rechtmäßige Entschuldigung ausführen kan, hat  
 das Leben verwürfet, adeoque eas caussas, quas leges  
 romanæ, quibus ut plurimum ipsa innititur constitu-  
 tio, determinarunt, eo ipso admittat, quorsum impe-  
 tum quoque interdum pertinere probatum est. Ut  
 paucis saltem exemplis rem clariorem reddamus: qui-  
 dam impetus est irati, cui si caussam injuria gravior  
 præbeat, mitigatur delictum ab irato admissum & ejus  
 poena nonnihil lenienda est: at si homo iracundus si-  
 ne caussa excandescat, nequaquam poena remittenda  
 videtur, magisque talis actio voluntaria quam invol-  
 untaria dicenda erit; nec mitiganda poena ei, qui ad  
 iram insidias adjungit. Ebrii quoque impetus quidam  
 est, cuius in mitiganda poena ratio haberi potest, si  
 quis non suo vitio, sed aliorum coactus se plus justo  
 oneraverit: si suo vitio ebriosus aliquis in calamita-  
 tem incident, vix misericordia dignus erit. Amoris  
 impetus contra, si solus sit, nihil prodest adeoque li-  
 bidinis impetus in adulterio, incestu, stupro ordinaria  
 poena puniri solet; in primis quia is impetus non est  
 repentinus, sed plerumque diu sub pectore versatur &  
 extin-

extingui a quopiam sanæ rationis ope potuit: si amoris impetus cum ira concurrat, ex impetu iræ res dijudicanda foret. conf. STRYK in usu mod. lib. 47. tit. 1. STRV. in syntag. jur. civ. exerc. 49. tit. 19. ibique PETER MULLER.

## §. XVII.

Quod si ex alia culpa delictum admissum minitur illud & ejus poena emollitur: nam quæ dolo facta proprie crimina adpellantur, quæ culpa non æque: extraordinarie illum vero qui ex culpa peccavit, puniri videmus in leg. 28. §. 12. D. de paenit. ubi JCtus CALLISTRATVS ait: *incendia si per negligentiam eorum, apud quos orta sunt, damno vicinis fuerunt, civiliter excentur.* hocque adeo verum est, ut ne lata quidem culpa dolo æquiparetur, in primis in capitalibus criminibus, ut PAVLVS JCtus in leg. 7. D. ad leg. corn. de sic. dicit: *in lege cornelia dolus pro facto accipitur, nec in hac lege culpa lata pro dolo accipitur* conf. CLASSEN in Comment in const. erim. ad art 125. & CARPZ. in præf. crim. part. 3. quo 142. §. 32.

## §. XVIII.

Delicta saepe ad scelestum propositum exitum a delinquentibus non perducuntur & conatum saltem conficiunt, qualem conatum, si quis exceperit crima atrocissima, non poenam commereri, quæ in delicta consumata statuta est, sed extraordinariam seu mitigationem jam pridem multis placuit. In atrocissimis criminibus conantes & molientes facinora talia manere poenam ordinariam convincimur ex princ. legis 5. C. ad leg. Jul. majest, ubi ARCADIVS & HONOR. Imperatores non atramento, sed sanguine, ut loquuntur inter-

C 3

interpretes

pretes, scribunt: eadem severitate voluntatem sceleris, qua effectum puniri debere; it. ex lege 1. D. de lege pomp. de parricid. ubi JCtus MARCIANVS lege pompeja filium teneri ait, qui emit venenum, ut patri daret, quamvis non dare potuerit. In delictis autem, quae inter atrocissima non referuntur, conatus poenam non ordinariam, impositam esse colligimus ferme ex sequentibus textibus; (ut nos non fugiat varia in jure rom. argumenta nobis obstat, quae instituti ratio tamen proponere haud permittit) scilicet JCtus PAVLVS in leg. 1. D. de extraord. crim. sollicitatores alienarum nuptiarum, qui effectu sceleris potiri non potuerunt, propter voluntatem perniciosae libidinis extra ordinem puniri tradit; AFRICANVS JCtus in l. 6. D. de leg. corn. de falsis dicit, quod pena falsi ei remittatur, qui sibi vel servo suo adscribere legatum conatus fuit, si res effectum non habuerit. ULPIANVS JCtus in leg. 21. §. 7. De furtis ait, quod is qui conclave intravit furti faciendi caussa, si nihil abstulerit, pro fure non puniatur. In const. crim. art. 178. CAROLVS v. illum qui crimen cogitatum contra intentionem suam consummare impeditus fuit, consultis prius juris prudentibus, criminaliter punire iusfit; adeoque juxta hanc sanctionem quoque conatus, si non in separatam criminis speciem inciderit, sed consistat in ctimine nondum perfecto, poena extraordinaria punitur, poenaeque mitigationem operatur. vid. KRESS. in Comment. suecind. in const. crim. art. 178.

## §. XIX.

Si illi, qui potestatem exercent, jubent eos, qui illorum potestati subjecti, delinquere, hoc casu, qui iusserunt

runt, ordinaria, qua illi qui sua manu scelus patrarunt  
adfcientur, poena teneri ex leg. 7. D §. 4. arbor. furtim  
cœsarum constat: illis vero, qui parere debuerunt, in le-  
vioribus ignosci JCTUS PAVLVS in leg. 169. D. de div.  
reg. jvr. statuit; in atrocioribus non quidem ignosci,  
minui tamen in eis delictum & poenam propter juben-  
tis vim mitigari in leg. 20. D. de oblig. & action. & leg. 8.  
C. ad leg. Jul. de vi publ. vel priv. cautum invenitur. Sed  
etsi imperium aliquis neque publicum neque privatum  
habeat; si tamen metu injecto coegerit alios peccare,  
delictum minuitur & poena propter majoris rei impe-  
tum, cui resisti nequit, merito mitigatur: quippe coa-  
ctio rei arguit, non tam proposito quam infirmitate  
peccatum esse vid. MATHEWI cit. loc. §. 14.

## §. XX.

Præter has enarratas caussas aliæ adhuc brevissi-  
mis verbis exponenda sunt, quæ minuunt delicta & eo-  
rundem molliunt poenam. Nimirum personæ consi-  
derandæ bene, quæ delictis læsæ sunt; is, qui pri-  
vatum injuria adfecit, lenius punitur, quam qui paren-  
tem magistratumque violavit. Locus in insigendis  
poenis quoque spectandus, delictum sic inter parietes  
privatos admissum leviori poena plectitur, quam in pu-  
blico loco patratum; quia audacius contemnit leges,  
& exemplo perniciosior est, qui palam quam qui clam  
delinquit. Nec tempus omittendum heic erit, utpote  
quod etiam mitigationem poenæ delinquenti adferre  
potest; si judex nempe invenerit aliquem diu in reatu  
fuisse: eorum enim, qui diutino tempore in reatu exti-  
terunt, leniri supplicium debere JCTUS MODESTINVS  
in

in leg. 24. D. de pœnis decrevit; diu autem in reatu fuisse creduntur illi, qui diu custodia & carcere fatigati quorumque accusatio diu pependit. Rationem temporis quoque judex hoc modo habere debet, ut mitius agat cum iis, quorum non aliud admissum reperitur delictum, quam id quod in judicium deductum est; severius autem animadvertisat in eos, qui diu & saepe scelerum viis grassati sunt, quod vult JCtus CALLIS STRATVS in leg. 28. §. 3. Et 10. D. de pœnis. Eleganter sane hac de re itidem agit Plato lib. 5. de legibus: *Miserabilis est omnino omnis injustus, Et qui mali quidquam habet: misereri autem decet eorum, qui sanabiles sunt Et cobibere iram, ne adversus eos malicie iracundiae fervore animus efferratur duriusque insistat. Qui autem ita sunt flagitosi, ut incurabiles sint eis, ira vehementius immittenda est.*

## §. XXI.

Præcipuas ex veris itaque, uti nobis persuademus, caussas, quæ judici potestatem pœnas in crimina statutas mitigandi tribuunt, consideravimus: nunc falsæ & spuriæ quoque investigari deberent; sed quia ratio præsentis temporis longiorem tractationem haud admittit, materiam illam elaborandam in futurum tempus reservamus. Deum T. O. M. demississimis jam imploramus precibus; velit gratia sua omnibus hominibus adesse, ut vitam ad normam virtutum legumque tam divinarum quam humanarum dirigant, recta faciant & mala fugiant vitæque ad voluntatem divinam integer time actæ præmia sic consequantur ac pœnas, quæ temeratores omnium legum certissime manent,

plane evitent!

**ULB Halle**  
005 355 664

3







Nov. 1733, 16 M

DISSERTATIO IN AVGVRALIS JVRIDICA,  
DE  
**POTESTATE JVDICIS,  
POENAS, IN DELICTA STATV-  
TAS, MITIGANDI HVJVSQVE  
MITIGATIONIS VÉRIS  
CAVSSIS.**

QVAM EX CONSENSV  
*INCLYTÆ FACVLTATIS JVRIDICÆ*  
IN PER- ANTIQVA HIERANA,  
RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO,  
PRÆNOBILI ET CONSULTISSIMO VIRO,  
**DN. TOBIA JAC. REINHARTH,**  
JCTO, SACRI PALATII CÆSAR. COMITE, JVRID. FACVL. ASSESSORE,  
ET PROFESS. COD. PVBL. ORDIN. CIVITAT. STNDICO  
ET CONSULE.

S V B P R A E S I D I O  
**DN. CONRADI WILH. Streders/**  
JCTI, JVRIDICÆ FACVLTATIS ET. JVDICII ELECTORALIS PROVINCIALIS AS-  
SESSORIS, PROFESSORIS PVBLICI, NEC NON CIVIT. STNDICI  
ET CAVS. TVTELAR. CONSVENTENTIS

*PRO LICENTIA*  
SVMMOS IN VTROQVE JVRE HONORES AC PRIVILEGIA  
DOCTORALIA RITE AC LEGITIME CONSEQUENDI  
PVBLICO ERUDITORVM EXAMINI  
IN AUDITORIO JCTORVM MAJORI  
HORIS CONSVENTIS SUBMITTIT  
AVCTOR  
**JOHANNES ANDREAS TSCHIRPIVS,**  
Oldisleb. Thuring.  
DIE VI. MAJi M DCC XXXIII.  
ERFORDIAE, Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII, Acad. Typogr.